



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvirgensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Additiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

## ADDITIONES.

Impetrauit *Sermus Bavarie Dux Maximilianus* à S. D. N. *Paulo V.* subsequentem Bullam vigore cuius, Monasterij *Schamhaupt.* redditus ac prouentus annui applicati fuerunt *Academiae Ingolstadt.* & domui Regulari S. *Augustini* ibidem. an. 1606. Octauo Cal. Iunij,

**P**aulus Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio officiali *Eysteten.* Salutem & Apostolicam benedictionem, Pastoralis officij cura nobis meritis licet imparibus ex alto commissa nos admonet, vt circa ea per quae Religioforum & aliorum piorum locorum ad fidei Catholicae defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum & personarum in illis degentium commoditati & profectui valeat prouideri, propensis studiis intendamus, & in his Pastoralis officij huiusmodi partes etiam per suppressionis Monasteriorum propter aliquod impedimentum derelictorum ac erectionis parochialium Ecclesiarum ministerium fauorabiliter interponam, prout Catholicorum Principum vota id exposcunt, ac personarum, locorum & temporum qualitate debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane dilectus filius nobilis vir *Maximilianus Bavarie Dux* nobis nuper exponi fecit, quod cum in villa *Schambaupten Ratibonen.* Diocesi, Ducatus *Bauariae,* quoddam Monasterium *Schambaupten* nuncupatum Ord. S. *Augustini* Canonicorum Regularium fundatum reperitur, & eo quod in loco minus salubri & siluestri constructum & aedificiis collapsum existit, magnaque reparatione indiget illud à multis annis citra ab illius Canonice Regularibus derelictum fuerit, dictique ordinis superioribus de eo illiusque regimine & gubernio nullam curam habentibus dictus *Maximilianus Dux,* summa eius pietate ac erga Monast. huiusmodi deuotione illius curam in se suscepit, & presbyterum qui inibi sacrum Missae officium celebret, ac dilectis filiis parochianis Ecclesiae dicti Monasterij quae etiam parochialis existit Ecclesiastica Sacramenta ministret, & aliquem, qui illius res & iura temporalia administret sibi semper manutenerit, in oppido vero *Ingolstadt* *Eysteten* diocesi, quaedam domus Regularis B. *Mariae* virginis de *Schutter* nuncupata ordinis eiusdem S. *Augustini* fratrum Heremitarum alias pro fratrum secundo dicti Ordinis in Vniuersitate studij generalis *Ingolstadt* huiusmodi bonarum litterarum studiis ad hoc vt illorum regularia loca illarum partium in quibus copiosus Religioforum viget numerus, & regularis disciplinae norma seruetur, viris absolute eruditionis qui ad populum contiones habeant & de Religione ac fide Catholica aduersus illam oppugnantes rationem reddere possint abundant, incumbere volentium commoditate extracta fuerit, sed ob illius fructuum & reddituum tenuitatem, vnus tantum presbyter, qui in Ecclesia dictae Domus regularis sacra peragit, ac duo fratres secundo dicti ordinis studiorum suorum causa in conuictu dilectorum filiorum Patrum Societatis Iesu dicti oppidi sumptibus, & expensis ipsius *Maximiliani Ducis* iam ab aliquot annis sustententur, nec non in dicto oppido celeberrima ac Vniuersalis *Academia* studiosorum frequentia floruerit & floreat, ac in conseruanda & propaganda Religione Catholica aduersus vndiq; grassantes haereses plurimum contulerit ac etiam conferat utilitatis, nihilominus ea redditus annuos adeo tenues habet, vt dilectos filios eius Professores sine contractione ari alieni vix alere possit. Et propterea si dictum Monast. illiusque ordo, denominatio, essentia & natura, titulus Abbatis caeteraque in eo officia, officinae, claustra, refectoria & dormitoria ac in eorum Monasterio, illiusque Eccles. & ambitu perpetuo supprimeretur & extingueretur, illisq; sic suppressis & extinctis

tinctis prædicti Monasterij Ecclesia in parochialem Ecclesiã dictæ villæ *Scham-  
haubten* quatenus opus sit cum sacristia, Fonte Baptismali, Cāpanili, campanis,  
cemiterio aliisque insignibus parochialibus quatenus iam in ea non existant  
pro vno proprio illius Rectore etiam perpetuo erigerentur & instituerentur, &  
ab ipso Monasterio illiusque proprietatibus rebus & bonis vniuersis tot ex qui-  
bus ducenti floreni monetæ illarum partium, qui centum & decem, & tot ex  
quibus quadringenti floreni similes, qui ducentos & viginti Ducatos auri de  
Camera circiter constituunt, ad effectum infra tactum etiam perpetuo dismem-  
brarentur & separarentur, illisque sic separatim & dismembratis ducenti vide-  
licet parochiali sic erigendæ, at quadringenti floreni huiusmodi dictæ domui  
regulari, residuū vero proprietatū, rerum & honorū Monast. huiusmodi eidē  
Academiæ pariter perpetuo applicarentur, & appropriarentur, ex hoc profectio  
nulla superiorib. & Canonicis regularibus primodiūcti ordinis, cū prædictū Mo-  
nasterium vt præfertur pro derelicto habeatur, iniuria inferetur, dictaque ani-  
marum cura melius per proprium Rectorem quam presbyterum amouibilem  
exerceretur, ac in prædicta domo regulari maior religiosorum numerus, qui in  
dicta Vniuersitate litterarum studiis incumbere manutenerentur, ipsiusque  
Academiæ, ac dilectorum filiorum illius professorum subuentioni plurimum  
consuleretur. Quare pro parte dicti *Maximiliani Ducis* asserentis fructus, red-  
ditus & prouentus Monasterij huiusmodi & illi forsitan annexorum sexcentos  
Ducatos auri de camera secundum communem estimationem valorem an-  
nuum non excedere nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis  
opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui  
dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis vniri te-  
nerentur exprimere verum annum valorem secundum estimationem præ-  
dictam & beneficij cui aliud vniri peteretur, alioquin vnio non valeret, idem-  
que in quibusuis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationi-  
bus & applicationibus etiam de quibuscunque fructibus & bonis Ecclesiasti-  
cis, ac etiam in confirmationibus vnionum singularumque dispositionum hu-  
iusmodi obseruari voluimus, prædictum *Maximilianum Ducem* à quibusuis  
excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis,  
censuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quib.  
quomodolibet in aodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequē-  
dum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes huiusmodi suppli-  
cationibus inclinati, discretionem tuam per apostolica scripta mandamus, quate-  
nus vocatis qui fuerint euocandi super præmissis omnibus & singulis, auctorita-  
te nostra te diligenter informes, & si per informationem huiusmodi ita esse re-  
pereris prædictum Monasterium per desertionem huiusmodi aut alias quouis  
modo, etiam si ex illo quauis generalis reseruatio etiam in corpore iu-  
ris clausa resulter, præsentibus haberi volumus pro expresso vacans, etiam si  
tanto tempore vacauerit, quod eius prouisio iuxta *Lateranen.* statuta Concilij  
aut alias Canonicas sanctiones ad sedem Apostolicam legitime deuoluta exi-  
stat, & illa ex quauis causa ad sedem eandem specialiter pertineat, at super il-  
lius regimine & administratione inter aliquos lites seu illorum possessores vel  
quasi molestia cuius lites statum etiam præsentibus haberi volumus pro expres-  
so, pendeat indecisa, dummodo tempore dato præsentium eidem Monasterio  
de Abbate Canonicè prouisum non fuerit, nec non illius ordinem, denomina-  
tionem, essentiam & naturam ac titulum Abbatis ceteraque in eo officia, offi-  
cinas, claustra, refectoria, dormitoria ac regularem obseruantiam in eo illiusque  
Ecclesia ac ambitu & alijs adiacentibus suis vniuersis etiam primodiūcti ordinis  
super

superioribus & in hoc interesse, aut grauamen habentibus ad hoc non consentientibus illisque forsan inuitis dicta auctoritate nostra perpetuo supprimas & extinguas, illisque sic suppressis & extinctis Ecclesiam Monasterij huiusmodi in parochialem. Ecclesiam dictæ villæ *Schamhaupten* etiam quatenus opus sit, cum sacristia, fonte baptismali, campanili, campanis, cimiterio, aliisque insignibus parochialibus etiam quatenus in ea non adsint, pro vno perpetuo illius Rectore, qui eidem parochiali Ecclesiæ in diuinis deseruiat, ac illius parochianis sacramenta Ecclesiastica ministret, eorumque animarum curam exerceat, ac alia quæ de iure, necessitate, aut alias quomodolibet ad parochum seu similem Rectorem parochialis Ecclesiæ spectant & pertinent, faciat, dicat & exequatur etiam perpetuo erigas & instituas, nec non à prædicto Monasterio sic extincto illiusque proprietatibus censibus, rebus & bonis vniuersis tot, ex quibus ducenti, ac tot ex quibus quadringenti floreni huiusmodi percipi possint pariter perpetuo dismembres & separe, illisque sic dismembratis & separatis ducentos videlicet dictæ parochiali Ecclesiæ pro illius dote, illamque pro tempore obtinentis sustentatione, nec non quadringentos florenos huiusmodi eidem domui regulari pro tot secundo dicti ordinis fratrum, qui bonarum litterarum studiis in eadem vniuersitate incumbere, velint, donec DEI omnipotentis munificentia & liberalitate, ipsiusque *Maximiliani* Ducis cura maioribus ampliabitur redditibus annuis manutene, residuum vero proprietatum censuum rerum ac bonorum Monasterij huiusmodi valorem annuum ducentorum & septuaginta Ducatorum, parium non excedentium eidem. Academia pro illius Professorum sustentatione & sustentatione pariter perpetuo applices & appropries, ita quod post applicationem & appropriationem prædictas, si illas per te vigorem præsentium fieri contigerit, liceat parochialis Ecclesiæ Rectori ac Domus regularis fratribus in prædicta vniuersitate vt præfertur. studentibus nec non Academia huiusmodi Rectori seu illius professoribus pro tempore existentibus per se vel per alium, seu alios eorum & parochialis Ecclesiæ, nec non domus regularis & Academia huiusmodi respectiue nominibus propria auctoritate, corporalem, realem & actuaalem possessionem proprietatum, censuum, rerum & bonorum quorumcunque, parochialis Ecclesiæ aut domui regulari ac Academia prædictis etiam respectiue applicandorum & appropriandorum cum omnibus & singulis iuribus & pertinentiis suis liberè apprehendere & apprehensam perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones & emolumenta quæcunque percipere, exigere, leuare, arrendare, locare, dislocare ac in suos vsus & vtilitatem respectiue conuertere Diocesani loci vel cuiusuis alterius licentia desuper minimè requirita, præsentibus quoque litteras etiam ex eo quod interesse habere prætendentes ad hoc vocari & causa seu causa propter quam seu quas præmissa à nobis emanarunt & coram ordinario loci tanquam à dicta sede delegato aut alias quomodolibet examinata, verificata, & iustificata non fuerint, seu quibusvis aliis causis de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostræ vel quopiam alio defectu notari seu impugnari, aut alias quomodolibet infringi seu reuocari vel inuaditari aut ad viam & terminos iuris reduci, seu in ius vel controuersiam vocari, aut aduersus eas quodcunque iuris & facti vel iustitiæ aut gratiæ remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus vnquam posse, sed eas aduersus quoscunque impugnationes validas & efficaces esse ac fore, sicque ab omnibus & singulis conferri, & ita per quoscunque Iudices & causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari &

*Metrop. Salisb. Tom. III.*

bb

diffi.

diffiniri debere ac quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate  
 scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum & inane dicta auctoritate  
 nostra decernas, non obstantibus priori voluntate nostra prædicta ac *Late-  
 ranen.* Concilij nouissimè celebrati vniones perpetuas nisi in casibus à iure  
 permissis fieri prohibentis, ac Apostolicis nec non in Vniuersalibus Prouin-  
 cialibusque ac Synodalibus Concilijs editis & edendis specialibus vel gene-  
 ralib. constitutionibus, & ordinationib. nec non primodiçti ordinis etiam iura-  
 mēto, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis  
 & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis & litteris Apostolicis pri-  
 modiçto ordini illiusque superioribus & personis sub quibuscunque teno-  
 ribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs, derogatorijs &  
 aliisque efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusque & alijs decretis in  
 genere vel specie, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac Consistoria-  
 liter & alias forsan quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis, quibus  
 omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expres-  
 sa, & indiuidua ac de verbo ad verbum non autem per. clausulas generales  
 idem importantes mentio seu alia quavis expressio habenda, aut aliqua  
 alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis alijs in suo robore permanen-  
 tis hac vice duntaxat, harum serie specialiter & expressè derogamus, ceteris-  
 que contrariis quibuscunque. Datum *Roma* apud sanctum *Petum* anno in-  
 carnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo sexto, Octauo Calend. Iunij.  
 Pontificatus nostri anno secundo.

Pro Ill<sup>mo</sup> & R<sup>mo</sup> D<sup>no</sup> Sum: L. Duccius.

Scipio Cabellutius

S. de *Vrsinis*.

### SCHEFTLARN

DE Institutione huius Monasterij ordin. Præmonstraten. scribit Auentin. lib.  
 3. Annalium, fol. 303. his verbis: Tesselonis Ducis ope & fauore Vricus Sa-  
 cerdos equestris ordinis decem millia passuum supra Monachium in Pipino  
 pago, in ripa Isaræ D. Dionysio construxit ædem, tradiditque Monachis diui  
 Benedicti: à Schapha nunc cognomen, mutatis quoque cæremoniis habent.  
 Nam candidati sunt, & diui Nordoperti mysta Præmonstratenses se nominant.  
 Alibi in monumentis illius Monasterij ita habetur: Temporibus Tassilonis Du-  
 cis Bauariæ, V Valckerius Decanus in Teyningen, vir nobilis, primus fundator  
 claustri Scheftlarn de propria hæreditate, & vocabatur tum Perenpach, & fue-  
 runt ibi Canonici regulares, postea Benedictini, qui fuerant expulsi per Arnol-  
 dum impium, Ducem Bauariæ, & Vngaros.

ANNO 1140. Otto Magnus, Frisingen, Episcopus, erexit & renouauit clau-  
 strum prædictum, & posuit ibi Canonicos regulares à de ordine Præmonstratē-  
 sium in perpetuum duraturum.

EXTAT ibi vetus diploma, eius tenor talis est: Ego ipse Petto, Episcopus &  
 Abbas, primum ob Dei amorē, seu pro peccatis meis minuendis, seu pro æter-  
 nate

f. Auentin.  
 1495.